

tia, effundere non erubuit. Et ut aliquando (inquit Lutherus) audeam sim, ea quæ jam dixi, protestor me non dubitare: sed paratus sum ignem & mortem suscipere, & hæreticum asseram omnem, qui contra sapuerit. Hæc Lutherus. His verbis satis aperte se prodidit, qui prius iacuerat in occulto. Quid ultra exigere oportebat, ut illum pertinacem hæreticum censeremus? Qui fieri potest, ut paratus sit corrigi, qui ignem & mortem sustinere paratus est pro illis, quæ docet? Putavit quidem astutus serpens huiusmodi præstigijs viros Catholicos eludere. Et ut illius diabolicam malitiam apertius toti mundo ostendamus, alia illius verba referam, per quæ suum diabolicum spiritum multo clarius ille prodidit. Nam in libro Actorum coram Reverendissimo Domino Thoma de Vio Cardinali tituli Sancti Sixti legato ad componendas Lutheranas similitates ab Apostolica Sede misso, quæ idem Lutherus in unum volumen collegit, hæc, quæ sequuntur verba inseruit: Nunc mi lector (inquit ille) tu mihi conveniendus es. Posterio-rem istam responsonem meam, & si cum multa reverentia dedi, ac veluti in arbitrium Summi Pontificis reposui: non tamen id me fecisse credas, quod de re ipsa dubitem, aut animi mei sententiam sim unquam mutaturus. Veritas divina est, etiam Domini Papæ. Non enim iudicium hominis expecto: ubi iudicium hominis agnovi. Hæc Lutherus. Vides jam (candide lector) quam vera & quam ex animo Lutheri prodierit illa sua primum facta protestatio? Te nunc rogo an Lutherum velis propter illam protestationem ab hæreticorum catalogo excludere? Non puto virum aliquem Catholicum esse, nisi demens aut stupidus ille sit, qui suffragiis tam frivole & inanibus protestationis hominem hæreticissimum velit ab hæreseos nota vindicare. Dico igitur ac firmissimo animo teneo, neminem, qui Catholicæ Ecclesiæ sententiam, quam optime novit, oppugnat, posse per quamcumque generalem fidei protestationem prius ab eo factam, ab hæreseos crimine apud Ecclesiam excusari. Quo fit, ut si quis in scriptis suis aliquid asseruit contra expressam Ecclesiæ definitionem, quam illi fuisse notam ex eisdem scriptis aperte constat, potest & debet etiam post mortem suam, non obstante quacumque protestatione per eum facta, tamquam hæreticus damnari: nisi illum huiusmodi erroris ante mortem penituisse constiterit. Quare ergo fateor me nescire quo pacto possim aliquot doctores, qui pro Catholicis habentur, à crimine hæreseos excusare, cum in eorum scriptis aliquas reperiam sententias, quæ apertissime, & ex diametro pugnant cum Ecclesiæ definitionibus: & ex eorumdem doctorum scriptis constat eas ipsas Ecclesiæ definitiones, quas oppugnant, fuisse illis notas. Si autem non constat illum scivisse Ecclesiæ definitionem, cui contradicit, & aliunde appareat illum in aliis recte de fide sentire, crederem generalem fidei protestationem prius per illum factam, debere illi suffragari, ut per illam possit ab hæreseos macula merito liberari.

CAPUT XII.

De blasphemis, an sint hæretici censendi.

Experta jam generali hæreticorum consideratione, declaratisque omnibus, quæ ad consummatam hæreticorum cognitionem habendam satis esse mihi videbantur, nunc (ut rem ipsam clariorem relinquerem)

mibi visum est, lapidem (ut dicitur) ad filum referre, & de quibusdam personis, quæ forte dubitationem movere possent, an hæretici sint censendi, pertractare? Et primo de blasphemio de quo non parva dubitandi habetur occasio, an sit hæreticus dicendus? Nam Theologi non computant blasphemiam inter peccata infidelitatis, ac proinde negant blasphemiam ad hæresim pertinere. At si blasphemia non est hæresis: consequens est ut nec blasphemus censeatur hæreticus. Oppositum tamen quodammodo persuadere videtur, quod hæreticorum inquisitores puniunt blasphemos, quos tamen punire non audent, nisi illos hæreticos esse censerent. Pro huius rei apertiore & certiori definitione opus est, ut primo de blasphemia consideremus, quale illa sit peccatum, & inde de blasphemio quæ inquiremus, facilius inveniemus. Blasphemiam definit Hugo de Sancto Victore in libro de fructu carnis & spiritus cap. 6. sic inquit: Blasphemia est cum quadam probrosa irreligiositate convitioforum iaculata in alium maledictio: aut est divini vel humani nominis diminutio jurando vel exprobrando facta. Hæc ille. Ex quibus duabus definitionibus constat, quod blasphemia proprie est vituperium, aut convitium cum diminutione honoris divini. Et propter hanc causam illi qui jurant per membra Christi aut aliorum sanctorum pudenda, blasphemare dicuntur. Quia & si Christus re vera habeat illa membra pudenda, ut quilibet alius verus & integer homo, ac proinde sic illa nominantes non mentiantur, tamen illa in Christi ignominiam & vituperium nominant, volentes ex ipso modo pronuntiandi, innuere aliquid esse in Christo ignominiosum, & vituperabile. Verba igitur illa & si non sint ex se blasphemica: ipse tamen pronuntiandi modus, qui fit cum vituperio, & irrisione, inducit blasphemiam. Quod autem in definitione sua posuit Hugo, convitioforum iaculata in alium maledictio, & non expressit in quem, ideo sic posuit, quia non solum convitia in Deum putavit esse blasphemiam, sed etiam convitia, quæ dicuntur in sanctos: propterea quod convitia quæ in sanctos dicuntur, inde ad Deum quodammodo derivantur. Nam sicut laudatur Deus in sanctis suis, eo quod laudantur opera, quæ Deus in sanctis suis & per sanctos suos facit, ita e contrario cum vituperantur aut irridentur ea, quæ Deus in sanctis suis operatur, ex consequenti vituperatur, & irridetur Deus, qui est illorum operator. Hæc autem derogatio honoris divini potest bifariam contingere: quoniam aut fit intrus in corde, aut extra per voces, vel alia signa exteriora: Illa quæ est intrus in corde, adhuc trifariam fieri potest: quoniam aut fit tantum in intellectu, aut tantum in affectu, aut simul in intellectu & affectu. Illa est blasphemia in solo intellectu, per quam quis de Deo intra se dicit id, quod divina derogat bonitati: nec tamen propterea est male circa Deum affectus. Deus autem (ut docet Dionysius cap. 1. de divinis nominibus) est ipsa essentia veræ bonitatis, vel ipsamet bonitas. Ex quo aperte sequitur, ut quicquid Deo tribuitur, pertineat ad bonitatem ipsius: & quicquid est à Deo alienum, longe etiam sit à ratione perfectæ bonitatis, quæ est ejus essentia. Quicumque ergo dicit aliquid Deo convenire quod illi repugnat, vel dicit illi repugnare quod est illi proprium, & ob hoc non male afficitur in Deum hic talis blasphematur Deum in intellectu tantum. Non est enim dubium quin possit esse blasphemia in intellectu absque perversa voluntate blasphemandi, vel divinæ bonitatis derogandi. Quia licet omnis blasphemia inquantum est voluntaria, sit à voluntate mala: non tamen omnis est cum voluntate affecta ad derogandum divinæ bonitatis. Sicut enim omne credere est voluntarium, non tamen omne credere est à voluntate affecta charitate Dei: ita omnis blasphemia est voluntaria, non tamen omnis est à voluntate affecta malignitate, vel voluntate blasphemandi. Habet se enim hæc voluntatis malicia, de qua nunc loquimur, ad blasphemiam intellectus, sicut charitatis ad fidem. Quo fit, ut sicut fides potest esse sine charitate, ita etiam blasphemia intellectus sine malignitate, aut sine blasphemiam affectus, in solo affectu, & sola voluntate blasphemiam, per quam quis credens de Deo, quod credendum est, male tamen circa Deum afficitur. Non enim repugnat blasphemiam simul esse cum fide. Potest enim aliquis credere Deum esse omnipotentem, & dicere intra se, ut injurietur Deo, quod Deus non est omnipotens, & delectari in tali mendacio. Simile quid contingere videmus circa injurias, quæ hominibus dicuntur, in quibus sæpe contingit, ut quis alteri injuriam facere volens dicat illi, quod scit minime illi convenire, ut pura cum cœcitate dicit illum, quem scit optime videre, aut dicit rudere, quem scit optime cantare. Sic potest quis, ut Deo injurietur, dicere illum nihil posse, cum tamen certo sciat illum esse omnipotentem. Potest etiam credere Deum esse justum, sapientem, omnipotentem & nolle aliquid eorum Deum esse: ut pura, quia nolle Deum esse tam sapientem, ut nihil illum lateat etiam secretissimas cordis nostri cogitationes, aut nollet illum esse tam potentem ad sua peccata puniendâ, ut nemo illi resistere valeat, aut nollet denique tam justum, ut nullis precibus, aut muneribus quis valeat, vel latum pilum, ad rectitudinem illum deflectere. Hi tales blasphemiam habent in voluntate, quamvis veram fidem habeant in intellectu. Tales sunt illi de quibus dicitur in Psalmo 73. *Superbia eorum qui te oderunt, ascendit semper. Dæmones sicutdem (ut ait Jacobus Apostolus cap. 2.) credunt, & contremiscent.* Et idem dicendum est de damnatis hominibus: hi tamen omnes Deum semper odiant: Quia non nollent Deum esse tam potentem, aut tam justum, ut illos pro suis peccatis puniret. Dolent de peccatis, quæ commiserunt, non propterea quod ipsa peccata habeant exosa: sed quia odio habent penas, quas pro illis sustinent. Habent quidem illi voluntatem suam male ad hæc suis peccatis affectam, & vellent adhuc, si possent, male uti rebus ipsis, pro quibus capiuntur, nollet tamen penas pro illis sustinere: ac proinde dolent, quod Deus sit tam justus, ut semper eos punire velit, aut tam potens, ut illius potestati resistere nemo possit. Et hoc est Deum odisse, & hoc est Deum blasphemare in sola voluntate. Sic enim de damnatis hominibus dicit Joannes in Apocalypsi, cap. 6. *adstant verunt homines astu magno, & blasphemaverunt nomen Domini habentis potestatem super has plagas.* Ideo blasphemant: quia dolent Deum talem potestatem habere, ut illas plagas inferre valeat. Sic enim exponit illum locum glossa quædam, quam citat Sanctus Thomas in 2. 2. quæst. 14. art. 4. non tamen expressit ille cuius Auctoritas sit illa glossa. Ego quidem cum legi in Beato Thoma, putavi id referendum esse in glossa, quæ vulgo dicitur Ordinaria: ad illam tamen recurrens nihil tale reperi, quale ille citat. Cuiuscumque illa sit, si il-

lius auctoritas non sufficisset, certe sufficere deberet auctoritas Beati Thomæ illum citantis, atque probantis. Talis ergo blasphemia, de qua nunc agimus (ut dicit S. Bonaventura) est quæ in Evangelio vocatur spiritus blasphemiae. Dicit enim ille in secundo sententiarum, dist. 43. in commentariis super litteram Magistri, non esse profus idem blasphemiam, & spiritum blasphemiae: habent enim se hæc duo (ut ille ait) tamquam generale & speciale. Omnis spiritus blasphemiae est blasphemia, non tamen e contrario. Spiritus blasphemiae est affectus & desiderium vituperationis divinæ. Spiritus blasphemiae sic spirat ad odium Dei, sicut spiritus sanctus ad Dei amorem. Et hunc talem spiritum blasphemiae, hoc est, affectum vituperationis divinæ dicunt Theologi esse maximum peccatorum & irremissibile, non quod non remittatur, si de illo debita fiat penitentia: sed quia tale est (ut dicit Beda super 3. Marci caput) quod nunquam de illo penitentiam agere debitam, qui illud semel commisit: quoniam propter iniam illius malitiam Deus illi auxilium suum subtrahet, sine quo ad penitentiam pervenire non poterit. Vel secundum Alexandrum de Alis ideo dicitur irremissibile: quia provocat oculos divinæ majestatis ad non miserendum, vel non remittendum. Ex his omnibus jam patet quæ sit blasphemia simul in intellectu & affectu. Est enim illa per quam quis male de Deo sentit, & propterea male illi afficitur & illum vituperare non veretur. Veluti si quis crederet Deum non esse omnipotentem, & inde audaciam sumeret ad derogandum illius honori, & illum vituperandum, & in contumeliam illius omnia ejus præcepta contemnendum. Hæc blasphemia certe non est tam grave peccatum ex se, quia ignorantia quam habet annexam, & unde maligna illius voluntas oritur quodammodo excusat à tanta gravitate peccati. Hæc enim est blasphemia in filium: quia est per ignorantiam, illa autem est blasphemia in spiritum sanctum, quia est ex pura malitia & ideo peior. Hæc de blasphemia quæ in corde veritatur, dicta sufficiunt. Est adhuc alia blasphemia exterior, quæ solet dici blasphemia oris, non quod in solo ore & solis vocibus exercetur, sed quia pluries per voces quam per alia signa exterius demonstratur, fitque ab his quæ pluries accidunt denominatio. Potest enim blasphemia in factis sicut in vocibus exterius demonstrari. Nam qui per contumeliam speret Christi aut Virginis Deiparæ imaginem, aut illam fustibus percuteret, aut pedibus per contemptum conculcasset, vel alia similia quæ Dei aut sanctorum ejus contemptum & vituperium ostenderent, faceret, hic sine dubio esset blasphemus existimandus, & velut talis puniendus. Unde Beda exponens illud ex secunda Petri Apostoli Epistola, cap. 2. *per quos via veritatis blasphemabitur*, sic ait: Via veritatis blasphematur per hæreticos non solum in eis quos suæ hæresis seductos associant, sed in eis quoque per impurissimam facta sua & sacrificia vel mysteria execranda, quæ faciunt in odium Christiani nominis concitant, existimantibus imperitis omnes Christianos huiusmodi flagitiis esse mancipatos. Qualibus dicit scriptura. (Esf. 53.) *Per vos nomen meum blasphematur in gentibus.* Hactenus Beda. Ex cuius verbis aperte constat blasphemiam exterioriorem non solum in verbis, sed etiam in operibus committi, quamvis communi vocabulo solet (ut dixi) omnis talis blasphemia, nominari blasphemia oris. Sic enim confessio & negatio, frequentius verbis effici solent,

tio. Quæ verba in commentariis super Ecclesiastem interpretatus Hieronymus, ait: „Licet diversa eveniant, & non possit iustus scire quid ei futurum sit, nec singularum rerum causas, rationesque cognoscere. Nemo enim est conscius futurorum, tamen scit à Deo cuncta in utilitatem hominum fieri, & non absque ejus voluntate disponi. Est enim magna afflictio generi humano: quia (ut Poeta ait) nescia mens hominum fati, altero loco expectat hostem, & alterius jaculo vulneratur.“ Hæc Hieronymus. Quisquis ergo talia futura prædicere, aut prænocere (nisi Deo revelante) præsumpserit, usurpare convincitur, quod solius Dei est, & hic talis dicitur divinator. Nam (ut dicitur cap. Igitur 26. quæst. 4. divini dicti sunt quasi Deo pleni. Divinitate enim se esse plenos simulant, & astuta quadam fraudulenta hominibus futura coniectant. Si quis vero hujusmodi futura contingentia, quæ à causis liberis dependent, Deo revelante, præcognoverit, aut prædixerit, non dicitur divinator: quia non ex se, & per se talem habet notitiam, sed à Deo: & ita ipse non usurpat sibi divinum aliquid: sed Deo tribuit, quod ab illo se recepisse fatetur. Alioqui omnes Dei Prophetæ dicerentur divinatores, eo quod tam multa de futuris prædixerint. Nullus tamen sanctorum illos divinatores: sed Prophetas appellavit. Ille enim solus divinator dicitur, qui sibi debito modo usurpat præcognitionem, aut prædictionem futurorum eventuum, quæ à liberis causis pendent. Et talis divinatio semper est peccatum, & quidem grave: quia contra Religionem, & cultum Deo debitum, non tamen omnes divinationes æquali culpæ sunt obnoxie: quia una peior est alia, quo peiora media ad futurorum prænotionem assumit. Aliquæ enim sunt, quæ dæmonum invocatione utuntur, ut futura præscire possint, velut sunt Necromantici, aut Arioli. Alii vero sunt, qui sine expressa dæmonum invocatione futura prædicunt, ut sunt Augures, qui ex garru avium, aut Aruspices, qui ex avium aspectu, aut Chirromantici, qui per signa manus, multa de futuris prædicere solent. Et Sortilegi aliqui sunt, qui sub nomine Christianæ Religionis, per Sacram Scripturarum inspectionem, aut per quasdam, quas Sanctorum seu Apostolorum (ut Isidorus, 8. lib. Ethic. ait) vocant sortes, divinationis scientiam profitentur. Et hi proprie sunt Sortilegi, qui in jure canonico reprehenduntur, atque damnantur. Sunt enim multi alii sortilegi minime à jure reprehensi, sed ab illo tolerati, & sunt illi, qui quamvis faciant aliquid, ut ipsius eventu considerato, occultum aliquid, sive præfens, sive futurum agnoscant, non tamen illorum cognitionem à dæmone, sed à Deo spectant, ut contingit in sorte divinatoria. Ea divinatio, quæ cum dæmonum invocatione fit, multo peior est illa quæ absque illorum invocatione exercetur. Est adhuc inter ipsas divinationes aliud non parvum discrimen. Sunt enim aliquæ, quæ quodammodo hæresis, miscetur, & sine alicujus hæresis adminiculo exerceri non possunt. Ut si quis mortuum baptizaret, ea forma, & eo ritu, quo baptizatur vivus, vel puerum baptizaret, ut inde sortium emissarum responsum haberet, aut Eucharistiæ Sacramento, ad maleficia, & incantationes exercendas abuteretur, aut coram idolis execrandas effunderet preces, ad incantationes suas peragendas. Talia enim sortilegia, aut auguria sine hæresis admixtione non sunt. Nam cre-

dere mortuos utiliter baptizari posse, hæresis fuit Marcionistarum, prout nos in eo opere, quod adversus omnes hæreses ædificimus, titulo de Baptismo, hæresi tertia, docuimus. Rebaptizare pueros, hæresis Anabaptistarum est aperte damnata. Idola orare est idolatria, & si quis in illa, Deos adoratione dignos esse putat, aperiensissima est hæresis. Eucharistiæ Sacramento ad maleficia peragenda abuti, vehementissima est hæresis suspicio. Quoniam hoc faciens, præter magnam irreverentiam, quam Sanctissimo exhibet Sacramento, merito creditur illum opinari, Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, aliquid ad maleficia exercenda valere, & vim aliquam, & virtutem ad illorum maleficiorum exercitium habere: quoniam si hoc non crederet, non uteretur illo ad talis maleficii perpetrationem. Hoc autem sentire aperta est hæresis, & blasphemia. Si quis autem dæmones invocaret, ut fortibus emissis, aut figuris aliquibus factis, de futuris ab eis edoceret, licet graviter peccaret, non adhuc diceretur hæreticus, si res, quas à dæmonibus scire procurat, tales sunt, quæ à dæmonibus bene prænosci possunt. Nam dæmones, qui rerum naturas, & earum virtutes, & motus (ut habetur in cap. Sciendum, 26. quæst. 4.) melius quam homines noscunt, possunt ex cognitione causarum præcognoscere effectus, quos illæ ex necessitate, & semper producant, prout superius de Astrologis diximus, circa prænotionem eclipsum Solis, & Lunæ. Si quis hujusmodi eclipses, aut fertilitatem terræ, aut sterilitatem futuram, à dæmone præscire tentaret, quamvis gravissime peccaret, non esset tamen censendus hæreticus. Si vero ea, quæ per naturam scire non poterat, per dæmonum invocationem scire niteretur, hic mea sententia est præsumendus hæreticus: quoniam dæmones ad illa prænoscentia non invocaret: nisi crederet dæmones illa præscire. Hoc autem de dæmonibus sentire, aperta est hæresis: quoniam qui dæmones credit posse cum certitudine prænocere ea futura contingentia, quæ ex hominis arbitrio pendent, credit illos esse Deos: quoniam hoc soli Deo convenire, satis convincitur per id, quod apud Esaiam Prophetam legitur. Cap. 41. *Annuntiate, quæ ventura sunt in futurum, & sciemus: quia Dii estis vos.* De talibus solum, qui dæmones invocant, ut ea ab illis sciant, quæ non nisi à Deo sciri possunt, ego censo debere intelligi capitulum, Episcopi, quod habetur vigesima sexta quæst. 5. in quo capitulo Sortilegi, & Magici vocantur hæretici. Hoc ideo ibi dictum est, non quod semper oporteat sortilegos & magicos viros esse hæreticos: sed quia aliquando tales divinationes, sine alicujus hæresis admixtione exerceri non possunt. Ad eundem modum etiam intelligendum est, capitulum, non observatis, vigesima sexta quæst. 7. Aliæ sunt divinationes, quæ licet sine peccato gravi fieri nequeant, sine tamen alicujus hæresis adminiculo exercetur. Veluti si quis per sortilegia, aut auguria, à dæmone inquirat de futuris, ea, quæ ille per suam naturam præscire potest, aut ab illo petat, ut faciat, quæ certum est dæmonem Deo permittente facere posse, & non credit dæmonem plura scire, quam scit: aut plura posse, quam potest, nec aliquid aliud suis sortilegiis aut maleficiis admiscet, quod ex aperto fidei errore procedere conficit. Si quis dæmonis adjutorio velit, & instantissime procuret scire, quid Romæ, aut in exercitu Imperatoris agatur, aut quis alicujus maleficii in secreto, sine testibus commisi, sit auctor, aut quo loco male-

factor lateat, non propter hæc est censendus hæreticus: quia tales divinationes, aut talia sortilegia, sive maleficia, quamvis gravissima sint peccata, non tamen habent ullam hæresis commixtionem. Nam sicut alia peccata per malitiam puram, & sine ullo errore, & ignorantia, sed ex industria committi possunt, ita etiam sortilegia, & auguria, & aliæ divinationes possunt ex pura malitia, & ex industria, sine ullo errore intellectus, & per consequens sine ulla hæresi exerceri. His igitur præmissis, tale pono documentum, ex quo totius hujus rei summa pendet. Sortilegia, & auguria, & reliquæ divinationes, quæ sine alicujus hæresis adminiculo exerceri non possunt, subduntur examini, & censura Inquisitorum hæreticae pravitas, & ab illis puniri debent. Talia sunt opera Necromanticorum: quoniam illi (ut postea dicemus) semper male de fide sentiunt, credentes de dæmonibus, quod multa possint, quæ re vera non possunt. Sortilegia vero, & auguria, & aliæ divinationes, quæ ex sola malitia voluntatis, absque ullo errore intellectus exercentur, non subduntur ex jure ordinario, censuræ Inquisitorum hæreticae pravitas: nisi aliunde ad hæc causam illis fuerit delegatum. Hoc expresse definitum est ab Alexandro IV. in cap. Accusatus, §. Sane, de hæreticis lib. 6. Episcopi vero de hujusmodi sortilegiis, quæ hæresim non sapiunt, inquirere, & judicare possunt: quia istorum potestas latior est, quam potestas Inquisitorum. Ut autem Inquisitor hæreticorum sciat, an sortilegos, aut augur, aut alius quis divinator, suæ subdit jurisdictioni, an non, hoc mea sententia illum facere oportet. Interrogabit de dæmonum potestate, de illorum scientia, utputa, quid credit illos scire de futuris, quid illos posse agere circa hæc inferiora. Interrogabit etiam, an dæmon possit hominis secreta, quæ in solo illius versantur corde, rimari, & perfecte cognoscere. Nam quod hæc solius Dei cognitio subdantur, Scriptura Sacra testatur, dicens: (*Psalm. 7.*) *Scrutans corda & renes, Deus.* Et Apostoli orantes Deum, dixerunt. (*Act. 1.*) *Tu Domine, qui corda nostri omnium, &c.* Ex quibus constat, hæresim esse, dicere quod dæmon secreta hominum noscat. Hujusmodi autem erroribus solent sepe sortilegia misceri. Et si ille de omnibus his juxta regulas fidei responderit, credendum est illum ex pura malitia, & non ex errore intellectus, tale peccatum commisisse: nisi opus ipsum tale sit, quod vehementem præbeat de hæresi suspicionem. Qualia sunt ea, quæ supra enarravimus, videlicet, Baptismus mortui, rebaptizatio puerorum, abusus Sacramenti, ad maleficia exercenda. Hæc enim, & his similia, licet hæreses non sint, cum hæresis non sit in opere, sed in intellectu (ut supra capite primo docuimus) vehementissimam tamen præbent hæresis suspicionem.

CAPUT XIV.

De Magis, an sint hæretici censendi, & velut tales puniendi.

Multi sunt, prohi dolor! homines, qui vero Deo illorum, & aliorum omnium creatore relicto, ad dæmonem omnium hominum capitalem hostem confugere, non verentur: & cum à Deo, illi servientes, omnia vere bona certo sperare possent, dæmoni servare, & illi per omnia obedire malunt, à quo nil, nisi

malum recipere valent. Nam dæmon ipse quamvis è sublimi illo statu, in quo à Deo conditus erat, propter insanam illam, prodigiosamque superbiam, qua Deo se æquare tentavit, ad inferos usque dejectus est, in ea tamen cæca ambitione obstinatus huculque persistit, ut Deo se æquare contendat, & divinos appetere honores non veretur. Quos cum in cælis ex quibus se dejectum conspicit, se jam assequi posse, non speret, illos ab hominibus, quos certissime scit facilius decipi posse, accipere quotidie procurat. Ut autem hos, quos tam anxie concupiscit, divinos assequatur honores, nihil intentatum relinquit. Nam quosdam fraudibus decipit, *transfigurans se* (ut de illo refert Paulus Apostolus) in *Angelum lucis*: alios variis, prout quemque concupiscere noscit, propositis donis, & præmiis allicit. Quibus fraudibus & technis multos hæctenus utriusque sexus homines seduxit: qui illum summe venerantur, & tamquam Deum adorant. Non tamen omnes, qui illi obediunt, eodem ritu, & ordine illum venerantur, nec omnes eodem censentur nomine. Nam quemadmodum Christiana religio varios continet intra se ritus, quibus verus colitur Deus: varias etiam hominum congregationes, qui licet habitus, & nomina cærenoniisque inter se diversi sint, omnes tamen ad hunc tendunt scopum, ut Deum colant: & illi obediunt: ita ille superbiae parens Sathanas, Deum in hoc imitari volens, plures sui diabolici cultus habet professores, qui licet diverso censentur nomine, diversisque habeant in dæmonis cultura, ritus & mores, hoc tamen inter illos convenit, quod omnes laudant dæmonem, & illum venerantur, illique per omnia obedire procurant. Diversitas autem istorum variis modis considerari potest. Primo quidem considerari potest, ex diversitate mediorum, quibus ad consequendum id, quod optant, utuntur. Sunt enim, qui incantationibus mortuos suscitare se dicunt, ut ab illis edocti, de futuris aliquid prædicere, aut divinare possint. Et hi (ut docet Augustinus lib. 10. de civitate Dei) dicuntur Necromantici, quia: Græce, Latine dicitur mortuus: vero dicitur divinator. Necromantia igitur dicitur divinatio ex mortuis habita, vel accepta. Alii dicuntur hydromantici ab aqua, quæ Græce dicitur: *hex* cujus inspectione umbras dæmonum evocare se putant, & imagines eorum videre, à quibus quod purant (ut ipsi ajunt) edocentur. Sunt alii similes diversis nominibus appellati divinatores, quorum nomina recensentur in cap. Episcopi. 26. quæst. 5. de quorum divinatione, quoniam in proxime præcedenti cap. discussimus, ideo de illis nihil aliud dicere statui. Potest etiam inter eos, qui dæmonem venerantur, altera considerari diversitas, quæ sumenda est ex diversitate eorum rerum, quas dæmonis adjutorio exercent, & quas à dæmone impetrare cupiunt. De his omnibus sigillatim hoc ordine disserere statui, ut primo ostendam, qui, & quales illi sint, deinde investigem, an sint inter hæreticos censendi, & velut tales puniendi. Sunt igitur aliqui, qui magna aliqua mirabilia se facere posse vehementissime cupiunt, ut per horum mirabilium operationem, ab aliis suscipiantur, & sint illis in miraculam, & stuporem, & ob hanc causam dæmoni se subdunt, ut illius auxilio, & potentia mirabilia multa facere possint. Hi (ut Augustinus docet) vocantur Magi, quales fuerunt illi, qui coram Pharaone (ut Exodi historia narrat.) (*Exod. 7.*) Moysi resisterunt omnia illa mira-

lent, & ideo omnis exterior confessio vel negatio, solet dici confessio oris vel negatio oris, & tamen quilibet harum potest operibus sicut vocibus exerceri. Nam de peccatoribus Paulus loquens, (*ad Titum. 1.*) ait: *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant.* Hæc igitur exterior blasphemia potest etiam trifariam distinguere, sicut supra diximus de blasphemia cordis. Cum enim voces & alia opera exteriora sint signa eorum, quæ sunt in anima, & ab illis procedant, hinc evenire est necesse, ut voces & alia opera distinguantur juxta distinctionem eorum quæ sunt signa, & à quibus oriuntur & procedunt. Et ita potest esse aliqua blasphemia exterior quæ tantum procedat à blasphemia sola intellectus sine mala affectione voluntatis: alia quæ solum procedat à blasphemia voluntatis: alia quæ procedat à malitia intellectus & voluntatis simul. Quælibet istarum talis est necessario judicanda, qualis est interior illa blasphemia à qua processit: ideo necessarium est videre, an aliqua istarum sit hæresis dicenda, vel habeat aliquam cum hæresi connexionem? Et certe de illa blasphemia quæ est in solo affectu licet sit gravissimum peccatum, & (sicut diximus) irremissibile, non tamen habet aliquam cum hæresi aut cum infidelitate. Quia hæresis & quodlibet infidelitatis vitium pertinet ad intellectum, sicut fides, cui opponitur. Opposita enim (ut dicit Aristoteles) habent fieri circa idem. Hæc autem solius affectus blasphemia est in voluntate: non est igitur hæresis, nec infidelitas. De alia vero blasphemia, quæ est in intellectu, sive illi sit conjuncta malitia in voluntate, sive non: est difficultas, an aliquo modo ad infidelitatem pertineat. Et pro hujus rei consummata declaratione, de hoc prius admonere lectorem decrevi, ut consideret aliud esse dicere aliquid, & credere illud. Nam mentiens dicit id, quod tamen non credit esse verum, nec refert, an dicat illud ore, an corde? Potest enim quis in corde suo aliquid dicere & illud secum pertractare, quod tamen non credit esse verum. Deinde advertendum est, duo hæc esse consideranda in fide. Primum est, credere omnes fidei articulos, Alterum est ipsos fidei articulos dicere ore, vel corde. Primum horum spectat ad fidem, & hoc vere dicitur fides. Secundum vero dicitur confessio fidei, juxta id quod dicit Paulus: (*Rom. 10.*) *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Ex opposito etiam in infidelitate oportet considerare hæc duo, puta dissensum circa ea, quæ ad fidem pertinent, & dicere intus vel extra aliquid contra fidem. Primum horum, videlicet dissensum pertinet ad infidelitatem, & est hæresis. Secundum vero scilicet dicere corde, vel ore aliquid contrarium fidei, est vitium blasphemie: ita quod blasphemia non consistit in credere, sed in hoc quod est dicere aliquid corde, vel ore contra Deum, sive credat ita esse, quod dicit, sive non: si tamen illud dicat hac intentione, ut Deo injuriam faciat. Quoniam ut blasphemiam vitium dici possit, non satis est ut dicat aliquid divina derogans bonitati: nisi illud voluntarie dicat. Ex quo manifeste colligitur blasphemiam non esse vitium oppositum fidei, sed esse vitium contra confessionem fidei. Et inde deducitur blasphemum ea ratione qua blasphemus est, non esse dicendum hæreticum: nisi aliunde aliquid præter blasphemiam adjungat, quod illum efficiat hæreticum. Si quis enim dicat vel faciat aliquid quod divina derogat bonitati, & id quod de Deo credit ita esse, simul blasphemus dicitur & hæreticus. Quatenus dicit aliquid contra divinam bonitatem blasphemus est: quatenus vero credit id quod dicit, hæreticus est. Si quis crederet aliquid de Deo, quod divina bonitati repugnat, & id non diceret: hic talis hæreticus esset, & non blasphemus. Si quis autem è contrario aliquid intus vel extra de Deo diceret, quod à divina esset bonitate alienum, & tamen quod dicit non credit ita esse, hic talis blasphemus dicitur, & non hæreticus. Tales blasphemii sunt multi, qui à passione aliqua aut infirmitate dejecti, vim tribulationis, aut afflictionis non ferentes, de Deo, à quo tribulationem sibi inflictam esse putant, vindicari cupientes, quia aliter hoc efficere non valent, ore polluto & maledictio execrandas illi dicunt injurias: quasi verba illa, quamvilibet execranda Deo vel tantillum nocere possent. A quibus si postmodum peteretur, an talem credant esse Deum, qualem illi dixerunt, certe ipsi firmissime negarent. Tales ego novi multos, qui post blasphemias per passionem ore prolatas, cervicem gladio opponerent antequam verum esse faterentur, id quod de Deo per blasphemiam effuderunt. Cum igitur tanta sit blasphemiarum varietas, oportet, ut varia sit etiam illarum punitio, & varius iudex, qui illas debita pena ferire debet. Blasphemiam, quæ nullam prorsus habet cum hæresi communionem, qualis est illa, quæ committitur in juramento emisso per membra Christi, aut sanctorum pudenda cum illorum vituperatione, & ignominia, hujusmodi talis, aut cujusvis alterius similis punitio non spectat ad inquisitores hæreticorum ex jure eorum ordinario nec illi quovis modo ex eodem jure: nisi aliunde sit illis delegatum, possunt se ingerere, ut de illis inquirant aut judicent. Sed illorum punitio spectat ad ordinarios iudices tam laicos quam Ecclesiasticos. Blasphemiam autem, quæ habet quandam cum hæresi viciniam vel connexionem, hæc merito ad inquisitores hæreticorum spectabit, ut de illa inquirant, judicent, & puniant. Sicut qui diceret Deum injuste punire aliquem, aut non posse hoc aut illud efficere, aut insipienter rem aliquam egisse: hic talis est blasphemus, & ab inquisitoribus hæreticorum examinandus. Non propterea solum quod blasphemus est, sed quia per talem blasphemiam dedit non modicam de hæresi suspensionem. Nam ex abundantia cordis (ut summa veritas ait: *Matth. 12.*) os loquitur. Qualis quisque est, talis est ejus loquutio. Tanta est verborum cum moribus connexio, ut propter hoc Solon (prout de illo refert Laertius) dixerit, orationem esse factorum simulachrum: quoniam animi vis in loquutione, perinde ut in speculo representatur. Quo fit, ut merito de unoquoque suspicemus, illum cum de re aliqua loquitur, ita sentire prout dicit. Quoniam (ut est apud Aristotelem) voces sunt earum, quæ sunt in anima passionum notæ. At, cum omnis res de qua merito vehementer oritur hæresis suspicio, pertinet ad iudicium & tribunale inquisitorum, oportet ut omnis talis blasphemia subdatur, etiam ex ordinaria eorum potestate, examini & iudicio inquisitorum. Cum tamen de hujusmodi inquirunt, oportet illos diligenter considerare personæ qualitatem, sicut in cæteris criminibus, an sit persona quæ alias de illo errore prolato aut quovis alio dederit aliquam suspensionem, an nullam. Deinde consideret temporis quo blasphemavit, circumstantiam, an tunc in tribulatione aliqua fuerit? an extra omnem tribulationem? quoniam inde conjicere valebit adjuncta etiam personæ qualitate, an ex infide-

litate? an ex impatentia blasphemaverit? Si consideratis bene temporis & personæ circumstantiis, constat illum ex infidelitate blasphemasse, procedet inquisitor ad illius ramquam hæretici punitionem, præsertim si ille, se credere dicat. Si neget se credere id, quod dixit, immo dicat se credere oppositum, & consideratis præfatis circumstantiis, adhuc maneat suspicio illum ex infidelitate dixisse, injungatur illi purgatio, & deinde moderata penitentia. Quod si in purgatione sua defecerit, ego de illo idem faciendum censeo, quod de aliis hæreticis qui in purgatione deficiunt, jura canonica disponunt. Si vero præfatis circumstantiis bene consideratis, constat illum non ex infidelitate, sed ex impatentia & passione aliqua blasphemasse: tunc quia ille non hæreticus, sed solum blasphemus censetur, non habet inquisitor hæreticorum quod ex jure ordinario amplius circa illum agere possit. Solent tamen inquisitores hæreticorum, præsertim in Hispania, hanc habere sibi specialiter delegatam auctoritatem, ut hujusmodi blasphemos punire valeant, & merito. Tum propter criminis gravitatem & enormitatem, quod (ut supra docuimus) est gravissimum peccatum. Tum etiam propter negligentiam eorum iudicium tam Ecclesiasticorum, quam laicorum, quibus ex officio incumbat hujusmodi execrandas blasphemias acerbissime punire. Nam quia illi in hoc negligentes sunt, justum est, ut hoc negotium aliis delegetur, qui austeriore correctione, & duriore disciplina blasphemias punientes, possent ab hoc execrando, & horrendo vitio homines revocare.

CAPUT XIII.

De sortilegis, & auguribus, aliisque divinatoribus, an sint hæretici dicendi.

Tanta inest hominibus multis sciendi curiosa cupiditas, ut ea, quæ ignorare esset utilius, etiam cum fidei Catholica dispendio improba curiositate dicere conentur. Ob quam causam non immerito à multis dubitari solet, de hujusmodi hominibus, qui divinatores nuncupantur, an sint illi omnes hæretici censendi, & velut tales ab hæretica pravitate inquisitoribus puniendi. Ad cuius rei plenioris intelligentiam, oportebit ante omnia inquirere quid sit, & quotuplex divinatio: & inde colligere valebimus: an illi, qui illam exercent sint hæretici dicendi, an non? Divinatio est enuntiatione eorum, quorum notitia per naturam haberi non potest, neque à Deo revelata est. Res autem sunt aut præfentes, aut præterita, aut futura. Præteritorum & præsentium scientia per naturam haberi potest: quoniam præfentia possunt videri, præterita quia aliquando fuerunt præfentia, aliquando visa sunt: & ex illorum intuitione remanet notitia, quam Philosophi vocant abstractivam, per quam potest quis de præteritis certo aliquid scire & aliis enuntiare. Futura autem quia nondum habent esse, videri non possunt, & ideo nihil certum de illis haberi potest. Propter quod divinatio semper circa futurorum præcognitionem considerari solet: quia illa sunt quæ ex se per naturam cognosci non possunt. Si quis autem præfentia aut præterita, quæ per naturam cognosci non possent, enuntiaret, & certo affereret: ego illum etiam divinatorem appellarem. Sicut qui à Roma per centum milliaria distans, diceret quid eo temporis articulo Romæ agatur: aut diceret homini, quem nunquam vidit ea, quæ toto vitæ

sua decursu egit, is certe (mea sententia) etiam dicitur divinator, ac si prædixisset futura. Nam sicut propheta dicitur etiam proprie ille, qui per revelationem agnoscit præterita, aut præfentia, quæ alias scire non poterat, quamvis frequentius dicatur propheta, qui per revelationem prænotificat futura: ita etiam proprie dicitur divinator ille, qui præterita, aut præfentia quæ naturaliter scire non poterat, absque Dei revelatione cum certitudine asserit. Illa siquidem mulier Samaritana, cui Christus dixerat (*Joan. 4.*) quinque viros habuisse, & quem tunc habebat non esse suum, statim hoc audito exclamavit dicens: *Domine, ut video propheta es tu.* Propheam siquidem censebat dicendum eum, quia præterita, aut absentia, quæ in secreto latebant, optime noscebat. Quamvis tamen hæc ita se habeant, solet frequenter ille solus dici divinator, qui futura cum certitudine, & absque deceptionis metu asserit. Futura autem (ut egregie beatus Thomas in Secunda Secundæ quæst. 95. docet) duobus modis cognosci possunt. Aut enim cognoscuntur per suarum causarum cognitionem, aut cognoscuntur per seipsa. Causæ autem futurorum tripliciter se habent ad effectus suos. Nam aliquæ sunt, quæ ex necessitate & semper suos producant effectus. Hujusmodi effectus futuri cum certitudine prænotificari, & prænotificari possunt, per cognitionem suarum causarum, quemadmodum astrologi præcognoscere, & prædicere solent æquinoctia, solstitia, eclipyses solis, & lunæ. Talis prænotificatio non dicitur divinatio: quia non usurpatur per eam, quod proprie divinum est. Aliæ sunt causæ, quæ producant suos effectus, non ex necessitate, & semper, sed raro contingit eas à suorum effectuum productione deficere. Ex harum etiam causarum cognitione, possunt homines futuros effectus præcognoscere: non quidem cum certitudine, sed per quandam conjecturam. Ad hunc modum multa prædicunt astrologi de pluviis, siccitatibus, terræmotibus, de fertilitate, aut sterilitate terræ: & medici prænotificat de morte, aut convalescentia infirmorum, in quibus rebus aliquando prædicunt vera, aliquando falluntur. Hæc etiam prænotificatio non potest dici divinatio: quia limites naturalis cognitionis non excedit. Aliæ sunt causæ, quæ nullam prorsus necessitatem habent, ut suos effectus, aut semper, aut pluries producant: sed dubiæ semper ex se sunt, & accipites, ut modo hos, modo oppositos effectus producere valeant. Tales causæ vocantur libere: ut sunt homines, & Angeli. Effectus qui ab hujusmodi causis producendi sunt, non possunt cum certitudine aliqua, sive ut semper, sive ut in pluribus, per cognitionem causarum præcognosci: quia causæ hujusmodi nullam habent ad suos effectus coactionem. Quantumlibet quis cognoscat Petrum, non potest ex hac cognitione certo scire, an Petrus cras jejunabit, an non: an loquetur, an tacebit: quia cum ille liber sit ad hos effectus, potest & unum, & alterum efficere. Tales ergo effectus, qui ab hujusmodi causis pendunt, nullus agnoscere potest, nisi dum sunt præfentes, ut puta, cum videt Petrum comedentem, aut jejunantem, vel tacentem, aut loquentem. Cognoscere hæc cum certitudine, aut prædicere, antequam fiant, soli Deo convenit, qui (ut dicit Paulus: *Rom. 4.*) *vocat ea, quæ non sunt tamquam ea, quæ sunt.* De hujusmodi futuris intelligendum est id, quod Salomon ait: (*Eccle. 8.*) *Multa hominis afflictio: quia ignorat præterita, & futura nullo scire potest punitio.*

bilia dæmonum auxilio facere conantes, quæ Moyſes Dei virtute ſaciebat. Talis etiam fuit Simon ille, qui (ut Lucas in actibus Apoſtolicis refert cap. 8.) *exiſtimavit Dei donum pecunia poſſe poſſideri*. Hic enim tot, tantaque mirabilia dæmonis auxilio operatus eſt, ut à Samaritanis, unde originem traxerat, pro Deo habitus fit, & Romani (ut Juſtinus martyr in ſuo apologetico refert) publicam illi tamquam Deo ſtatuum erexerint. Ut autem de iſtis certius, & apertius definire valeamus, an hæretici ſint dicendi, an non? hoc imprimis animadvertere oportet, quod nullus Magus aliquid horum mirabilium operatur, ſine aliquo pacto, inter illum & dæmonem facto. Non enim gratis hæc omnia Sathanas docet, nec gratis ſuam magis impartitur eam, quam habet potentiam, ſed aliquid ab ipſo Mago recipit, ut illum ad illa mirabilia perpetranda juvare velit. Conſideranda igitur eſt ante omnia ipſius pacti qualitas & conditio: quoniam inde magna huius rei notitia pender. Pacta autem iſta dupliciter fieri contingit, quoniam quædam aperte, & expreſſe ſunt, alia vero non, niſi tacite & latenter. Pactum apertum & expreſſum eſt, quod cum ipſomet dæmone emittitur, & illi in propria perſona datur. Et hoc iterum duplex. Eſt enim aliquod publice & ſolemniter factum, eſt etiam aliud privatim, & ſine ulla proſus ſolemnitate factum. Pactum publicum & ſolemniter eſt, quod fit cum dæmone ſedente in folio regali, & multitudine ſuorum ſubditorum ſtipato, in generali quadam congregatione, veluti in quibusdam comitiis generalibus, quo omnes, qui ſub dæmone militant, & illi nomina dederunt, conveniunt. Ibi enim coram omnibus illis promittunt aliqui (ut longius infra dicemus) dæmoni obedientiam, & illius mandata ſe per omnia ſervaturos vovent, Deo & omnibus operibus eius renuntiant, aliaque innumera ſcelera ſe patraturos jurant. Qua per illos emiſſa promiſſione, dæmon illis ſtatim promittit ſe illis daturum ea, quæ ſcit illos concupiſcere. Non enim omnibus omnia promittit, ſed quo quiſque plus de dæmonis tradit, & plura in illius honorem ſe facturum ſpondet, eo plura etiam dæmon illi promittit, & plura condonat. Pactum privatim & expreſſum eſt, quod cum ipſo fit dæmone, promiſſionibus ultro citroque datis, nulla tamen habita ſolemnitate, nullisque etiam adhibitis teſtibus. Quæ autem dæmon promittit ſe illis daturum, pro viribus præſtare laborat, ne ſi mendax in promiſſis inveniat, hi qui illi ſe dederant, ab eo iterum recedant, & ſic amittat, quos jam velut ſervos habebat. Sunt tamen aliqua non pauca, quæ dæmon minime efficere valet: quia aut ſuas naturales vires excedunt, aut licet eas non excedant, Deus tamen, ſine cujus nutu, nihil agere poteſt dæmon, illa agere non permittit. Si quis igitur horum dæmon illis promittit, illuſionibus quibusdam & præſtigis, ſic illos ſæpe fallit, ut illi putent id, quod à dæmone ſperabant, ſe aſſequutos fuiſſe: Pactum tacitum cum dæmone eſt, quod quis facit non cum dæmone, ſed cum eo, qui eſt dæmonis diſcipulus, & ſervus promittens illi obedientiam integram, & abſolutam, & renuntiat Deo, & fidei Catholice, & reliqua omnia ſpondet, quæ ipſi dæmoni alii promittunt. Is autem, cui hæc promittuntur, vice verſa, promittit illis, quod propter hæc multa magna, & mirabilia aſſequentur. Hoc autem pactum, quamvis non cum ipſo dæmone factum, dæmon ipſe ratum habet, & omnia in illo contenta, per-

inde adimplere nititur, ac ſi fuiſſent ab eo promiſſa. Quo fit, ut non ſolum illi, qui expreſſum, ſed etiam qui tacitum cum dæmone pactum fecerunt, multa inſolita, & ſtupenda, dæmone illos adjuvante faciunt, aut facere videantur. De his omnibus non incongrue dici poteſt id, quod de aliis peccatoribus Dominus per Eſaiam Prophetam dixit: (Cap. 28.) *Percuſimus ſœdus cum morte, & cum Inferno fecimus pactum*. His igitur annotatis, ut ſciamus de Mago aliquo, an hæreticus ille fit, an non? duo ſunt conſideranda. Primum eſt, ipſius pacti, quod cum dæmone fecit qualitas, & conditio, ſive tacitum illud fit, ſive expreſſum nihil refert. Si per pactum illud promiſit ſe adoraturum dæmonem, & alios divinos honores illi daturum, & hoc, vel aliquod aliud ſimile promiſit: quia ita faciendum eſſe credidit, merito proculdubio ille cenſendus erit hæreticus: quia dæmonem Deum eſſe credit, cum illum, tamquam Deum adoratur, aut adorare promiſit, & venerari. Nam verus Deus creator omnium, qui loquutus eſt per os Sanctorum, qui à ſæculo ſunt Prophetarum eius, per Eſaiam Prophetam loquens, cap. 45. ait: *Ego Dominus, & non eſt alius: extra me non eſt Deus*. Et in eodem loco iterum: *Ego Dominus, & non eſt alter*. Et ruruſum: *Numquid non ego Dominus, & non eſt ultra Deus abſque me?* Si nullam fecit pactum de re fidei Catholice repugnantem, quod rariffime contingere poteſt, quoniam (ut diximus) nunquam ſolet dæmon gratis, & ſine aliqua certa lucri ſpe eam, quam habet potentiam hominibus impartiri, & per illam hominibus ad eorum nutum inſervire, tunc Magus ille erit examinandus, quid de dæmonis poteſtate credat. Si certo cognoviſſe poteſt illum credere de dæmone, quod poſſit aliquid, quod Deo ſoli convenire fides Catholica docet, erit ſine ulla dubitatione hæreticus cenſendus. Ut gratia exempli, ſi credit dæmonem poſſe aliquid creare, prout Manichæi, & Præſcillianitæ dixerunt, aut credit dæmonem poſſe mortuos ſuscitare: quod re vera folius divine potentie eſt proprium. Nam ſicut fidei credimus animam humanam à ſolo Deo creari poſſe, ita etiam fide tenendum eſt ſolum Deum poſſe eandem hominis animam corpori humano unire.

Hoc enim ratione naturali certo, & evidenter ſciamus, quod nulla forma ſubſtantialis poteſt alieni materie veluti illius forma uniri: niſi à ſolo illo agente, qui poſſet illam producere. Agens quod non poteſt formam ſubſtantialem producere, nec poteſt etiam illam materie unire. Quoniam ſic uniendo, videretur ipſum compoſitum ex materia, & forma producere. At inepia eſt maxima dicere, quod aliquid agens producat aliquid compoſitum, cujus nec materiam, nec formam producere poteſt. Deus igitur, qui ſolus animam hominis producere, & creare poteſt, etiam ſolus poteſt illam poſtquam à corpore ſuo ſeparata fuerit, iterum eidem corpori unire. Nam alias ille, qui animam corpori uniret, hominem illum feciſſe diceretur, quod neſas eſt dicere dæmonem hoc facere poſſe: Quia dicente Deo. (Genef. 1.) *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram*: Aperte nec docuit, ipſius hominis productionem tantam eſſe, ut propagatione ſecula ſoli Deo convenire poſſit. Forte quis hic mihi objiciet Samuelem, qui (ut i. Regum narrat historia 28.) per phythoniſſam ſuſcitatus eſt, & interrogatus, reſponſa dedit Regi Sauli. Huic objectioni dupliciter reſpon-

dere poſſumus; prout Auguſtinus in Epitola ad Simplicianum docet. Primo quidem dici poteſt juxta illum, non fuiſſe Samuelem animam, quæ apparuit, & cum Saule loquebatur: ſed quoddam phantaſma, & illuſio imaginaria diaboli machinationibus facta, quam Scriptura Sacra in lib. 1. Regum, cap. 3. & in Eccleſiaſtico, cap. 46. Samuelem vocat, eo loquutionis tropo, quo Imagines ſuarum rerum nominibus ſolent appellari. Nam Imagines illæ Cherubin, ſuper Arcam Teſtamenti exiſtentes, Cherubin appellabantur in Sacra Scriptura, (Genef. 40.) cum tamen re vera non eſſent Cherubin: ſed illorum Imagines. Et pincerna ille Pharaonis in carcere cum Joſeph exiſtens, vitam ſe in ſomnis viſiſſe dixit, in qua erant tres propagine, cum tamen nec vitam, nec propagine viſit: ſed ſolas illarum rerum Imagines. Juxta hunc modum etiam Angeli, qui olim à Deo ad homines mittebantur: dicebantur in veteri teſtamento Dii, ob hoc ſolum quia Deum, à quo mittebantur, repræſentabant. Nam de Angelo illo cum quo luſtatus fuerat Jacob, (Genef. 32.) loquens dixit: *Vidi Dominum facie ad faciem, & ſalva facta eſt anima mea*. Non enim Deum videbat Jacob (ut omnes Sacri Doctores concorditer docent) ſed Angelum à Deo miſſum, qui propterea quod ſpeciali quodam modo Deum, à quo miſtus erat, repræſentabat, Deus, aut Dominus, à Jacob dictus eſt. Sic etiam potuit illa Samuelis imago, quam dæmon ob oculos Saulis poſuit, dici Samuel. Si vero ſcrupulus aliquem urget, ut non imaginem Samuelis, ſed ipſum Samuelem ſuſcitatum eſſe credat, propterea quod is, qui apparuit, vera Sauli prædixit, quæ à maligno ſpiritu dici non poterant, propterea quod nihil de futuris certum ille præcognoscere poteſt, præſertim de illis, quæ non à ſolis neceſſariis cauſis eveniunt; hunc ſcrupulum tollit Auguſtinus, in illa præſata Epitola, ſic inquires: „Poteſt & illud videri mirum, quod dæmones agnoverunt Chriſtum, quem Judæi non agnoſcebant. Cum enim, vult Deus etiam inſimos ſpiritus aliqua vera cognoſcere temporalia dumtaxat ad iſtam mortalitatem pertinentia, facile eſt nec incongruum, ut omnipotens, & juſtus (ad eorum prænam, quibus iſta prædicantur, ut malum, quod imminet, antequam veniat, pariantur) occulto apparatu, videlicet myſteriorum ſuorum talibus ſpiritibus aliquid divinationis impartiat, ut quod audiunt ab Angelis, prænuntient hominibus. Tantum autem audivit, quantum omnium moderator Dominus jubet, vel ſinit.“ Hæc Auguſtinus. Secundo dici poteſt, juxta Auguſtini ſententiam, quod is, qui Sauli apparuit, fuit verus Samuelis ſpiritus à dæmone adductus, Deo id permittente propter aliquam rationem nobis occultam. Nam cum Chriſtus permiſerit ſe à diabolo aſſumi, & ſuper pinaculum Templi portari, & ſuper monem excelſum collocari, non eſt mirum, quod animam Samuelis ab inferis portare fuerit permiſſus: præſertim cum ipſa Samuelis anima prope infinitum minoris ſit excellentiæ, quam ipſe Chriſtus. Aut certe dato quod fuerit verus Samuelis ſpiritus is, qui Sauli apparuit, dici melius poterit, illum non aliqua arte magica, aut dæmonis poteſtate ad hoc permiſſa: ſed divina potentia, & diſpoſitione, quæ phythoniſſam, & dæmonem latebat, fuiſſe illic adductum, ut Sauli ſententiam divinam propter ſua demerita ſuper eum proxime venturam, præſtantiaret, quemadmodum ipſemet dum viveret eidem

Sauli nuntiavit illum eſſe ex Dei decreto à Regno dejectum. Si autem aliquis eam ſententiam magis probare voluerit, quæ ait animam Samuelis fuiſſe à dæmone ex Dei permiſſione ab inferis ſuſcitatum, hoc ſumme cavere debet, ne credat, aut ſuſpicetur animam illam fuiſſe ſuo proprio corpori reſtitutam, aut alicui alteri corpori ſic inſuſam, ut ex illa conjunctione corporis cum illa anima, verus & integer fuerit homo conſtitutus, qualis ante mortem ſuam fuerat. Talem enim conjunctionem corporis cum anima, neque etiam Deo permittente dæmon ex ſuis viribus facere poteſt. Et certe Auguſtinus, qui admittit animam hominis potuiſſe à dæmone ex Dei permiſſione ab inferis ad ſuperos adduci, non admittit dæmonem potuiſſe illam corpori inſundere. Ad ſolum enim motum localem dicit, animam Samuelis potuiſſe dæmonis poteſtate ſubſeſſe: ut poſſet illam de loco ad locum, illa invita, mutare. Nam ad hoc ſolum valet exemplum, quod attulit de Chriſto, quem diabolus de deſerto ad civitatem Hieruſalem tranſtulit, & poſuit ſupra pinaculum Templi. Hoc tamen inter illa duo intereſt, quod Chriſtus non invitus, ſed ſe permittente, ductus eſt à dæmone. Anima vero etiam invita poteſt à dæmone, quo illi placerit, duci, niſi dæmon ſit à Deo ad hoc faciendum impeditus. Quiſquis igitur hanc probare voluerit ſententiam, ut dicat veram animam Samuelis à dæmone ex Dei permiſſione fuiſſe coram Saule adductam, horum alterum illud dicere oportebit, aut animam illam non fuiſſe vero corpori, ſed phantaſtico, & apparenti tunc conjunctionam, cui non, ut vera illius forma uniebatur, ſed ſolum illi aſſiſebat ut motrix illius: aut ſi in vero corpore, cui vere, ut forma illius uniebatur, illam apparuiſſe dicat, talem animam cum corpore unionem à ſolo Deo factam eſſe illi, dicere cogatur, ne hominem (quod impium eſt) à dæmone ſeri poſſe dicat. Si quis vero contendit dæmonem poſſe animam hominis corpori unire, is certe teſtimonio Beati Leonis, huius nominis primi, damnatur, qui in Epitola ad Toribium Aſtorgienſem Episcopum diſſerens de errore Præſcillianii dicentis, animas, quæ humanis corporibus inſeruntur, fuiſſe in corpore, & in cæleſti habitatione peccaſſe, atque ob hoc à ſublimibus ad inferiora diſſapas in diverſe qualitates principes incidiſſe, & per aereas, ac ſydereas portantes alias duriores, alias miſiores, corporibus eſſe incluſas, ſic ait, „Quam impietatis fabulam ex multorum ſibi erroribus texerunt: ſed omnes eos Catholica fides à corpore ſuæ unitatis abſcidiſſe, conſtanter prædicans, atque veraciter quod animæ hominum, priuſquam ſuis inſpirentur corporibus, non fuere, nec ab ullo incorporarentur, niſi ab opifice Deo, qui & ipſarum eſt creator, & corporum.“ Hæc Leo Papa, qui fide Catholica tenendum eſſe docet, animas à ſolo Deo corporibus humanis inſundi. Cum igitur Magus aliquis mortuum aliquem ſuſcitare ſe dixerit, nequaquam eſt illi credendum: quia nec dæmon ipſe, à quo juvatur, hoc facere poteſt. Poterit quidem (Deo permittente) & dæmone favente, animam ſolam alicujus deſuncti ab inferis ad ſuperos adducere, & corpori alicui phantaſtico, ad imaginem, & ſimilitudinem corporis deſuncti conſtaſto illam inſundere, non quidem, ut formam illi conjunctionam: ſed tamquam illius motricem. Et quia hoc dæmon facere poteſt, hinc eſt, quod ipſe dæmon huiusmodi illuſionibus, & præſtigis magis ipſos, & alios inſipientes decipit, ut putent illum poſſe mortuos ſuſcitare. Quiſ-

quis tamen hoc putat, impius est, & hæreticus: quia creaturæ, hoc est, dæmoni tribuit id, quod soli Deo convenit. Nam unum ex præcipuis testimoniis, quo (ut concors omnium Sacrorum Doctorem sententia tenet) Christus suam nobis manifeste declaravit divinitatem fuit mortuorum suscitatio. At si hæc mortuorum suscitatio dæmonum potestate fieri posset, non satis bene suam divinitatem illo argumento nobis probasset Christus. Est adhuc aliud considerandum, circa dæmonis potestatem, mutare videlicet, homines in peccora, aut volucres, aut quæcumque alia bruta animalia, de quo Magum examinandum esse censeo, & diligentissime interrogandum, an credat illud dæmonem facere posse. Nam & Magi sæpissime hoc se facere dicunt, & de his multa olim facta esse fabulosa narravit gentilitas. Quæ omnia apud multos fidem obtinuerunt propter vanam & levem Græcorum credulitatem, quæ eousque processit, ut nullum fuerit tam impudens mendacium, quod teste, ac proinde fide apud illos caruerit. Lucianus scribit se quum in Theffalia nocendæ magiæ causa versaretur, mutatum in asinum, dum avem fieri optaret. Non quidem quod hoc illi contigisset: sed (ut opinor) ad artis magicæ irrisionem, & subsannationem, hoc confixit argumentum homo, qui neminem, nec Deos ipsos non subsannavit. Idem argumentum postea Apulejus suscipiens scripsit librum de asino aureo, ut suam ostenderet eloquentiam, quamquam multorum opinione id, quod optavit, non est assequutus. Circeam famosissimam magam socios Ulyssis mutasse in bestias finxit potius, quam narravit Homerus. Diomedes socios post Trojanum excidium in volucres fuisse conversos refert Ovidius lib. 14. Metamorph. Et Beatus Augustinus, lib. 18. de civitate Dei, cap. 18. refert se, cum in Italia esset, similia quædam audivisse de quadam regione illarum partium, ubi stabularias mulieres imbutas his malis artibus, in caseo dare solere dicebant quibus vellent, seu possent viatoribus, unde in jumenta illico vertentur, & necessaria quæque portarent: perfunctaque opera, iterum ad se redirent: nec tamen in eis mentem fieri bestialem: sed rationalem, humanamque servari. Quæ vana, & levis credulitas à Gentilitate, præsertim ab antiqua illa Græcia ortum habens, ad nostra usque tempora processit, in quibus non desunt homines, qui credant, homines in lupos, aut canes, aut cætos, magorum incantationibus, & dæmonum potentia converti posse. Si Magus hæc, aut his similia à dæmone fieri posse credat, erit proculdubio hæreticus censendus, quia ea dæmoni tribuit, quæ omnem superant naturalem creaturæ potentiam, & quæ soli Deo convenire possunt. Nam (ut ex proxime præcedentibus constat) sicut solus Deus potest animam humanam producere, ita etiam ille solus potest illam corpore unire: & inde sequitur, ut etiam ille solus possit illam de corpore in corpus transferre. Præterea anima humana talis est, & tantæ nobilitatis, ut non nisi corpus humanum, & organicum informare & animare possit. Nam sicut quælibet forma substantialis exigit certas aliquas dispositiones in materia, ut illam fovere, & informare possit, veluti forma ignis requirit calorem in materia, forma arboris, aut herbæ requirit humiditatem, aut viriditatem: ita anima humana requirit in corpore figuram humanam, ut corpus illud animare, & vegetare possit. Non tamen puto sic talem corporis figuram requiri, ut Deus non possit animam hominis si vellet, corpori bruto unire. Deus tamen hoc nunquam facere decrevit, qui ab initio

hominem creans, animam illius non nisi corpori organico infudit, talemque illum in corporis figura tunc fecit, qualis perpetuo postea faciendus erat. Et ob hanc causam dicimus animam hominis, si ad ordinem, & potentiam naturæ referatur, non posse, nisi corpus humanum vegetare. Non est igitur credendum ulla dæmonum potentia posse homines in jumenta, aut aves, aut alia bruta animalia mutari. Si quis vero objiciat ea, quæ Circeam illam Magam olim fecisse Poeta referunt, & quæ hodie à multis Magis fieri dicuntur, his omnibus eleganter, & ingeniose responderi Augustinus libro decimo octavo de civitate Dei, cap. decimo octavo sic inquit: „Nec sane dæmones naturas creant, si aliquid tale faciunt, de qualibus factis ista vertitur quæstio: „sed specie tenus, quæ à Deo sunt creata commutant, „ut videantur esse, quod non sunt. Non itaque solum „animam: sed nec corpus quidem ulla ratione crediderim dæmonum arte, vel potestate in membra, vel lineamenta bestialia, veraciter posse converti: sed phantasticum hominis, quod etiam cogitando, sive somnando per rerum innumerabilia genera variatur, & cum corpus non sit: corporum tamen similes mira legeritate formas capit, sopitis, aut oppressis corporeis, hominis sensibus, ad aliorum sensum, nescio quomodo inefabili modo figura corporea posse perducit: ita ut corpora ipsa hominum alicui jaceant, viventia quidem, sed multo gravius, atque vehementius, quam somno suis sensibus obferatis. Phantasticum autem illud veluti incorporatum in alicujus animalis effigie appareat sensibus alienis, talisque etiam sibi homo esse videatur, sicut talis sibi videri possit in somnis, & portare onera, quæ onera si vera sunt corpora, portantur à dæmonibus, ut illudatur hominibus, partim vera onerum corpora, partim jumentorum falsa cernentibus. Hæc tamen Augustinus. Et ad probationem hujus suæ sententiæ, qua dicit illa non vera esse, sed dæmonum illusiones, adducit experientiam ipsam, quæ multa vera docere solet. Ad ipsam autem experientiam comprehendam, duo narrat facta, in quibus id, quod dixit, verum esse, certissime cognovit. Quibus narratis, postea iterum sententiam suam explicat, sic inquit: „Proinde quod homines dicuntur, mandatumque est „litteris à Diis, vel potius dæmonibus Arcades in lupos solere converti, & quod carminibus Circe socios mutavit Ulyssis, secundum istum modum mihi videtur fieri potuisse, quod dixi: si tamen factum est. Diomedes autem volucres, quandoquidem genus earum per successionem propaginis durare perhibetur, non mutatis hominibus factas, sed subtractis credo fuisse suppositas: sicut cerva pro Iphigenia Regis Agamemnonis filia. Neque enim dæmonibus judicio Dei permisisis, hujusmodi præstigiæ difficiles esse poterunt. Sed quia illa virgo postea viva reperta est, suppositam pro illa cervam esse, facile cognovit est. Socii vero Diomedis, hujusmodi præstigiæ difficiles esse potuerunt. Sed quia illa virgo postea viva reperta est, suppositam pro illa cervam esse, facile cognovit est. Socii vero Diomedis, hujusmodi præstigiæ difficiles esse potuerunt, & postea nullo loco apparuerunt, perdentibus ulioribus angelis malis, in eas aves, quæ pro illis occulte, ex aliis locis, ubi est hoc genus avium, ad ea loca perductæ sunt, ac repente suppositæ, creduntur esse conversi. Hucusque Augustinus, qui rem rotam luculenter, & ingeniose (ut solet) explicuit. Juxta hunc modum, quem Augustinus docet, sunt intelligenda multa alia, quæ Magos facere posse, vana, & levis gentilitas credidit. Nam (ut cætera ridicula pertranseam) fuit

fuit gentilitati persuasum, Magicis incantamentis detrahi Cælo, Lunam, aut Solem obscurari. Ideo Ovidius de Medea loquens, dixit.

Illam reluctantem cursu deducere Lunam

Nittitur, & tenebras addere Solis equis.

Et Virgilius in Pharmaceutria.

Cærina vel Cælo possunt deducere Lunam.

Adjuvari putabant Lunam sic laborantem sonitibus permagnis, ne voces incantantium eo possent pervenire, ut ab ea exaudirentur, idcirco tympana, & cymbala pulsabantur. Nam hæc omnia plurimum professe putabant. Unde Propertius ait: Cantus & è curru Lunam deducere tentant. Et facerent, si non æra repulsa sonent. Et Juvenalis de femina loquacissima loquens, Satyra sexta dixit:

Una laboranti poterit succurrere Lunæ.

Hæc omnia virtute dæmonum fieri nequeunt, qui naturæ ordinem à Deo institutum permutare non possunt. Sed (ut Augustinus de aliis rebus dixit) diabolica illusionis similitudines, & phantasmata illarum rerum dæmon ob oculos hominum sic subtiliter, & artificiose ponebat, ut homines crederent se non similitudines, & phantasmata, sed veras res vidisse: Ad cujus sententiæ confirmationem præter exempla, quæ ille adduxit alia multa possunt afferri, è quibus unum solum referam, quod narratur in vitis patrum. Juvenis quidam juvenulam avidenter amabat, eamque ad actus veneros, ut sibi consentiret quotidie sollicitabat. Quam, quia nunquam consentire voluit, quidam Judæus Magus ad juvenis petitionem, in equam convertit, ut sibi, & aliis aspicientibus videbatur. Ob hæc causam illa ad Beatum Macharium ducta est, qui illam aspiciens dixit, sibi mulierem, & non equam videri. Non enim potuit dæmon sancti viri sensus illudere, quemadmodum aliorum sensus illuserat. Hic igitur Deum pro illa orans, suis precibus à tali illusionem liberavit. Denique hæc sententia confirmatur auctoritate Concilii Anquirensis, quod de hac re apertissimam dedit definitionem, sic inquit. „Quisquis credit posse fieri aliquam creaturam, aut in melius, aut in deterius immutari, aut transformari in aliam speciem, vel in aliam similitudinem, nisi ab ipso creatore, qui omnia fecit, & per quem omnia facta sunt, proculdubio infidelis est, & pagano deterior. Hæc Concilium Anquirensis, ut citantur à Gratiano in cap. Episcopi. 26. q. 5. Nam hujus Concilii decreta non reperitur inter illa, quæ duobus voluminibus magnis conclusa, anno ab hinc octavo impressa sunt Coloniae. Sunt enim illic decreta Concilii Ancyranis, & suspicatus Gratiani litteram mendosam (prout alias sæpe in illo Gratiani volumine contingit) ita ut pro Ancyrano positum esse Ancyrense, omnia Concilii Ancyranis decreta perlegi, sperans præfatum decretum illic invenire: sed nihil tale in Concilio Ancyrano reperit. Collector tamen illorum Conciliorum post Ancyranis Concilii decreta hoc addidit, dicens se in quoddam codice manuscripto illud invenisse.

CAPUT XV.

De maleficiis, an sint hæretici dicendi, & velut tales puniendi.

Inter multos, quos sub suo imperio dæmon continet homines, qui illum invocant, & pactum cum illo ferunt, ut illius adjutorio ea, quæ optant efficere valeant, Tom. II.

quidam recensentur, qui ab operibus suis malefici appellantur, propterea quod tam malignarum, & pestiferi sunt ingenii, ut nulli bene, sed dæmonem ipsum imitantem, male multis facere optent, & ob hoc solum dæmonis imperio se subdunt: ut ab illo doceantur, quo pacto aliis obesse possint. Nam licet Magi, & incantatores, de quibus in præcedenti cap. disseruimus, possint etiam hæc maleficia dæmonis auxilio operari, non tamen ob hæc maleficiorum peritiam, Magi, sed malefici vocantur proprio vocabulo, prout ex ipsa vocis etymologia facile constare potest. Nam in 1. Nemo, C. de maleficiis, & Mathematicis, dicitur hujusmodi homines ob facinorum magnitudinem maleficos à vulgo appellari. Hujusmodi autem maleficorum multa sunt genera, quæ non secundum varietatem mediorum, & instrumentorum, quibus malefici in sua arte utuntur: sed juxta diversitatem malorum, quæ in aliis efficiunt, distinguuntur. Est enim aliquid maleficium, quod dicitur amatorium, est etiam aliud, quod dicitur veneficum, & hoc etiam multiplex juxta multipliciter nomenclaturum, quæ per illa hominibus inferuntur. Maleficium amatorium est, quod fit ad hæcendos animos virorum, ut mulierum ad libidinosum, & turpem amorem. Et qui hoc exercent, quocumque modo id faciunt, graviter peccant: Quoniam (ut aperte constat) ad rem malam, & expressè à Deo prohibitam, sollicitant. Rem autem malam, quæ sine peccato exerceri non potest, nullus sine peccato consulere alicui potest, neque ad illam sollicitare. Nam (ut ait Paulus Rom. 1.) non solum, qui talia agunt: sed qui agentibus consentiunt, digni sunt morte. Maleficium veneficum est, quod fit ad nocendum aliquod alicui inferendum. Solent enim multifariam hujusmodi malefici homines nocere. Aliquando enim illis in propriis illorum personis nocent: aliquando in possessionibus eorum, aut in rebus illis conjunctis. Nam hi malefici sæpe dæmonis operatione secreta homines cito inveniunt, sine aliqua propinatione veneni. Aliquando vero non tam celebriter eos è vita tollunt: sed mortem in longum temporis spatium producant, ut post longas luctuosasque querelas, & miserabiles fletus, corpus persone, quæ est malefica infecta, paulatim coneratur, & debilitetur quousque tandem pereat. Propter hæc & alia nocentia, quæ corporibus inferre solent humanis, in 1. fin. C. de maleficiis, & math. vocantur hostes communis salutis. Hi oves, & boves, & reliqua bruta animalia, quæ forte pinguisima erant, brevissimo temporis spatio, macilentia aliquando efficiunt, aliquando profus interficiunt. Hi homines matrimonio conjunctos sic sæpe ligant, ut ad opus generationis minime committeri possunt. Hi sunt, qui (ut dicitur in 1. Multi, C. de maleficiis, & math.) elementa turbant, aerem immutant, ventos, & tempestates suscitant, grandines, & lapides terrificos, qui frumenta, & fruges omnes devastant, ex alto descendere faciunt. Ut autem hæc omnia facere possint, variis utuntur hi homines instrumentis, & mediis. Aliquando manifesta venena, in cibo, aut poculo, aut veste, aut alia re, quæ personam illam contingat, propinant. Aliquando nihil tale illi præbent: sed imagines quasdam, certis temporibus observatis, & determinatis carminibus, & ritibus quibusdam, & signis consuecunt, quas in nomine Beelzebub Principe dæmoniorum baptizant, adhibitis, & expressis quibusdam aliis verbis, quæ vel referre non licet, nec si liceret, sine magno horrore, & tremore animi id facere possent. His sic prædictas imagines ad ignem

nem applicant, & ibi petunt infirmitates, aut alia mala, quæ in persona illa, cujus imaginem confecerunt, venire optant. Quandoque etiam acubus, aut aliis acutis ferris perforant illius imaginis caput, aut pectus, aut ventrem, aut femora, aut aliam corporis partem, in qua cupiunt malum aliquod oriri in persona, cui nocere cupiunt. Quibus omnibus perfectis sæpe contingit, ut persona illa, cui nocere maleficus procuravit, graviter torqueatur, & doleat in capite aut stomacho, aut ventre, aut repentinam quandam toleret infirmitatem, quam nullus medicorum cognoscere valet. Aliquando folis verbis ex ore suo prolatis nocent, de quibus Lucanus dixit: Mens hausti nulla sanie polluta veneni, incantata perit. Quæ omnia dæmonum operatione fieri, duplici potest ratione probari. Prima sumitur ex eo, quod in his omnibus necesse est scribi quasdam figuras, quæ naturaliter intelligi non possunt, & quasdam dæmonum nomina profus ignota, & penitus horrenda, quamvis aliis sanctis nominibus mixta, illic scribuntur, quæ non nisi ad pactum cum dæmone inritum implendum, posita esse credendum est. Secunda ratio per hoc evidentiissime convincit, quod illæ imaginum compositiones, & tactus, aut illi characteres, aut verba prolata, non possunt ex sua natura mortem, aut morbos aliquos, aut nocumentum aliquod in corporibus humanis efficere. Quoniam si hæc operandi vis esset hujusmodi rebus concessa, omni tempore, & omni loco, & omni subiecto ejusdem qualitatis, & dispositionis illa operaretur: Quisquis similes imagines, aut characteres efficeret, aut similia verba proferret. Constaret autem quod si alius nullum cum dæmone pactum habens, tales characteres faciat, aut talia verba proferat, nihil efficit. Ex quo evidentiissime colligitur, tales morbos, aut alia quævis nocumenta, nullo pacto virtute imaginum, aut verborum fieri. Et inde convincitur, ut hæc ab ipsis dæmonibus, cum quibus malefici pactum sive publicum, sive privatum injerunt, fiant. Nam ipsi dæmones, qui acutissimi sunt, lapidum, atque herbarum, cæterarumque rerum naturas, & proprietates optime norunt, melius quam omnes medici, & physici, qui in orbe fuerunt. Dæmon enim peccans (ut Beatus Dionysius libro de divinis nominibus cap. 4. docet) substantiam, & proprietatem suæ naturæ Angelicæ non amittit: sed omnia naturalia integra, & splendidissima retinuit. Hic igitur cum perspicacissimum habeat intellectum, facillime noscit ea, quæ mortem, aut morbos, aut cruciatum, aut alia quævis nocumenta homini inferre possunt. Scit miscere simplicia ex quibus venena confici possunt, quæ tale valeant homini nocumentum inferre, quale optatur. Cum igitur dæmon magnam hujusmodi rerum peritiam habeat, quando tales imagines (ut diximus) acubus punguntur, aut characteres fiunt, aut verba proferunt (Deo permitte) ille venena, quæ homini, cujus imago perforatur, nocere possint, secreta, & invisibilibus adhibet, & sic naturali potestate, & virtute venenorum dæmon facit ea, quæ maleficus efficere optat. Quæ venena, quia maleficus sæpe ignorat, nec illa adhibere videt, putat ea omnia, quæ fiunt, virtute talium imaginum, aut characterum, aut verborum fieri, quæ tamen neque ab imaginibus, neque à figuris, aut verbis ullis, neque à dæmone ipso: sed ab aliis agentibus, ad hoc virtutem naturalem habentibus fiunt, quæ per dæmones ipsos, qui illorum agentium virtutem agnoscunt, latenter applicantur, & admoventur: ut in ipsis corporibus humanis, ea, quæ malefici cupiunt,

efficiant. Et contingit sæpe, ut qui hæc maleficia operantur, remedia his malis, quæ intulerunt adhibere nesciant: quia non amplius dæmon eorum magister eos docuit, vel (ut rectius loquar) non amplius dæmon illis promisit. Sunt tamen alii, qui optime utrumque noverunt, videlicet nocere, & nocumenta à se, vel ab aliis illata remedium adhibere. De qua re lectorem admonere decrevi, ut intelligat, hujusmodi maleficos homines, non solum graviter peccare quum nocent: sed etiam quando nocumento à se, aut ab alio illato, remedium per hujusmodi diabolicam artem præstant, ut maleficia operatum obesse non valeat. Nam licet sic operantes proximo læso profint, tamen (ut ait Paulus Rom. 3.) non sunt facienda mala, ut inde veniant bona. Mala est autem dæmonum invocatio, malum est etiam & pessimum cum dæmone pactum aliquod sive expressum, sive tacitum facere: malum igitur, & pessimum est maleficia jam adhibita solvere, si non aliter quam per dæmonis invocationem, & illius auxilium solvendum est. Id enim, quod ex se malum est, nulla adhibita bona intentione, nec quacumque alia bona circumstantia adjuncta poterit bonum esse. Quo fit, ut licet bonum sit proximorum incommodis obviare, non tamen bonum sit maleficia facere, ad proximorum nocumenta tollenda. *Iuste, quod iustum est* (inquit Dominus Deut. 16.) *exequitur*. Si tamen maleficia adhibita tale esse dignoscitur, ut naturali aliqua virtute, sine ulla dæmonis invocatione, & sine ullo pacto cum illo inuito, impediri possit illius operatio, tunc bonum, & meritorium erit illud maleficia dissolvere, tantum abest, ut peccatum dici queat. Potest etiam per orationes sanctorum virorum tolli maleficia ne suum consequatur effectum. Similiter etiam potest licite maleficia impediri, si imago illa, cui est acus infixæ, aut aliud simile instrumentum per quod faciendum est maleficia, inveniretur, & confringeretur. Tunc enim dæmon non amplius illum fatigaret, quia ex pacto, quod cum malefico fecit, non assisit: nisi quandiam signum aliquod ab eo datum permanet. Sed questio non parvi momenti est, an liceat ab eo qui maleficia exercet, & paratus est quotidie illa exercere, petere, ut maleficia alicui adhibita dissolvat, aut impediatur, ne operationem suam exercere valeat, præsertim si credit illum non nisi dæmonis auxilio, & operatione maleficiorum illud posse dissolvere. Angelus de Clavaio in sua summa, in titulo: Superstition, §. 13. citat Petri Aureoli de ac re sententiam, & probat illam, qui quarto sententiarum, dist. 34. quest. 2. dicit licite hoc posse peti à quocumque malefico, quem scitur esse paratum ad hujusmodi maleficia exercenda. Hanc autem suam sententiam per hoc persuadere nititur, quod, cumque licet malo alterius uti ad commodum suum. Pro qua re assert testimonium Augustini dicentis, licitum mihi esse uti ad commodum meum juramento hominis infidelis, quamvis sciam illum juraturum per Deos suos falsos, quos colit. Posset etiam pro eadem re asserri simile de illo, qui mutuum petit ab eo, quem scit non nisi ad usuram daturum. Hæc autem petitio omnium doctorum consensu licita est. Ex quo sequi videtur, ut etiam liceat cuicumque petere ab eo, qui paratus est maleficia facere, ut maleficia inceptum impediatur. Sed his omnibus non obstantibus, ego oppositam teneo sententiam, & dico Petrum Aureolum, & Angelum de Clavaio qui illum sequutus est, fuisse in hac parte deceptos, eo quod non bene res considerant, ac proinde non

non viderunt, quam lata sit differentia inter propositum negotium, & alia exempla, quæ loco similitudinis adducta sunt. Nam quod ille, qui petit à malefico, ut maleficia maleficio dissolvat, peccet, vel ex hoc evidentiissime convincitur, quod ipsemet maleficus (ut paulo ante diximus) graviter peccat quum diabolica arte inceptum maleficia tollit, ne ad operationem perveniat. Fieri igitur non potest, ut ille, qui à malefico petit, ut arte diabolica maleficia inceptum dissolvat, non peccet. Quisquis enim petit ab alio, ut faciat id, quod sine peccato facere non potest, peccat: quia sic petens consentit iniquitati alterius inducendo illum ad peccatum. Certum est autem, quod sicut par peccat, ita etiam par reus constituitur agentem, & consentientem: Nec petens excusari potest à peccato hac ratione, quod maleficia ille, à quo petit, paratus erat ad cuicumque petitionem maleficia operari. Nam etsi ille paratus esset, non tamen hoc particulare maleficia fuisse operatus, nisi ille petisset. Ex quo evidenter convincitur, illius petitionem causam fuisse proximam, quod maleficus ille particulare illud maleficia fuerit operatus. Causam enim dicimus illam, qua posita ponitur effectus, & qua remota removetur. Si petens non fuisset, maleficus non fuisset illud particulare maleficia operatus, & illo petente fecit: ergo ille petens fuit causa, quod alius maleficia perpetraret, & inde convincitur illum peccare: quia alium ad peccatum induxit, & proximam peccati causam dedit. Et hoc confirmari potest per id, quod habetur in cap. Nec mirum 26. quest. 5. ubi postquam de Necromanticis, & Hydromanticis dictum est, hæc adduntur verba: Ad hæc omnia supradicta pertinent ligaturæ execrabiliū remedium, quæ ars non commendat medicorum, seu in præcantationibus, seu in characteribus suspendendis, atque ligandis, in quibus omnibus ars dæmonum est, ex quadam pestifera societate hominum, & angelorum malorum exorta. Unde hæc cuncta vitanda sunt Christiano, & omni penitus execratione repudianda, atque damnanda. Hæc ibi in illo cap. quod inscribitur nomine Augustini, & re vera non est Augustini. Exempla autem de infideli parato jurare per Deos suos, & usurario parato dare ad usuram, quæ loco simile salutem nostram operatus est, quæ dæmon summe expetere solet ab his, quibus se exorabilem exhibet: non est dubium, quin tunc maleficia sint hæretici censendi, & velut tales puniendi. Quoniam nihil horum, quæ diximus, potest libere, & ex animo sine manifesta hæres exerceri. Nam licet sint multa, quæ voluntas contra iudicium rationis operatur: Quia ad illam voluntas esse ex se prona, & illa ex se habent voluptatem quandam, per quam possunt voluntatem ipsam ad sui amorem allicere: sunt tamen alia, quæ (ut primo hujus operis cap. diximus) nunquam voluntas appetit: nisi quia intellectus iudicat esse bona: quia nihil habent illa in se, per quæ possint allicere voluntatem. Et inde sequitur, ut si voluntas aliquod illorum appetat, non nisi ab intellectu iudicante illud esse bonum, moveatur ad illud appetendum. In his ergo omnibus operatio exterior aperte indicat errorem intellectus. Ex quibus omnibus evidenter concluditur, maleficos omnes, qui aliquod eorum, quæ nunc proxime diximus, ex pacto efficiunt, esse hæreticos censendos, & velut tales puniendos. Secundum, de quo examinare oportet maleficos, est maleficia ipsam, quod exercent, de qua re varia est facienda inquisitio: sicut varia diximus esse maleficia. Nam illorum alterum diximus appellari amatorium, alterum veneficum. Ab

illis. Quia petit id ab illo, quod ille, si vellet, sine peccato & cum merito facere posset. In his igitur omnibus exemplis, & aliis similibus ille, qui petit, non inducit alium ad peccatum: quia petit id, quod sine peccato fieri potest, sed utitur ad commodum suum iniquitate alterius, qui non vult nisi male, & injuste facere id, quod si vellet, poterat facere bene. Longe aliter se habet is, qui petit à malefico, ut maleficia diabolica arte dissolvat, ne nocere valeat. Is enim id à malefico petit, quod ille sine peccato facere nequit. Nam (ut paulo ante diximus) non solum peccat, qui maleficia operatur, ut nocent: sed etiam qui arte diabolica maleficia tollit, ne nocent. Quia artem diabolicam exercere, quacumque bona intentione id fiat, gravissimum est peccatum. Is igitur, qui à malefico petit, ut maleficia diabolica arte dissolvat, non solum utitur ad commodum suum iniquitate malefici: sed etiam inducit illum ad peccatum, & per consequens peccat: quia petit ab illo, quod ille etiam si vellet, non posset facere sine peccato. Si autem maleficia tale esset, ut sine peccato posset à malefico dissolvi, ut puta, quia scit ubi sit laqueus, aut imago, aut ligaturæ aliquæ, aut characteres cum quibus est jam inceptum maleficia: tunc sicut ipse posset sine peccato dissolvere maleficia confringendo illa omnia: ita quilibet alius posset sine peccato petere ab ipso malefico, ut illo modo dissolvat maleficia. His omnibus prænotatis, superest, ut inquiramus an hujusmodi malefici, sint hæretici censendi, & velut tales puniendi. De qua re, ut certa possit dari sententia, tria sunt prius ab his hominibus inquirenda. Primum est an aliquod pactum, sive expressum, sive tacitum, cum dæmone fecerint per quod promiserint se aliquid, quod fidei Catholicæ deroget, facturos. Numquam enim, aut rarissime (ut præcedenti cap. diximus) dæmon suum adiutorium hominibus sine aliqua spe lucri impendit. Si in pacto inter illos, & dæmonem inuito intervenit aliqua promissio de rebus fidei repugnantibus, ut puta de adoratione, & reverentia ipsi dæmoni præstanda, aut de eadem reverentia Christo salvatori nostro deneganda, aut de consecratione, & conculcatione Imaginis Christi, aut Crucis, in qua moriens ille salutem nostram operatus est, quæ dæmon summe expetere solet ab his, quibus se exorabilem exhibet: non est dubium, quin tunc maleficia sint hæretici censendi, & velut tales puniendi. Quoniam nihil horum, quæ diximus, potest libere, & ex animo sine manifesta hæres exerceri. Nam licet sint multa, quæ voluntas contra iudicium rationis operatur: Quia ad illam voluntas esse ex se prona, & illa ex se habent voluptatem quandam, per quam possunt voluntatem ipsam ad sui amorem allicere: sunt tamen alia, quæ (ut primo hujus operis cap. diximus) nunquam voluntas appetit: nisi quia intellectus iudicat esse bona: quia nihil habent illa in se, per quæ possint allicere voluntatem. Et inde sequitur, ut si voluntas aliquod illorum appetat, non nisi ab intellectu iudicante illud esse bonum, moveatur ad illud appetendum. In his ergo omnibus operatio exterior aperte indicat errorem intellectus. Ex quibus omnibus evidenter concluditur, maleficos omnes, qui aliquod eorum, quæ nunc proxime diximus, ex pacto efficiunt, esse hæreticos censendos, & velut tales puniendos. Secundum, de quo examinare oportet maleficos, est maleficia ipsam, quod exercent, de qua re varia est facienda inquisitio: sicut varia diximus esse maleficia. Nam illorum alterum diximus appellari amatorium, alterum veneficum. Ab